



Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicae, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

Decisiones Miscellanæ

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindelicorum, 1730

Decisio CXIII. Argumentum. Refertur ordo, sive methodus incensandi Altare juxta Rubricas. Numerus incensationem. Earundem Mysterium, tam in Missa, quàm in Vesperis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94626](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94626)

Justitia tua, Isa. 58. 7. Ergo melius est, eam facere ante mortem.

Quinta Ratio. Quia Securius est eleemosyna facta in Vita, quam ordinata post mortem; siquidem experientia docet, longe plura esse testamenta, quæ carent executione, iis, quibus executio præstetur; & iusta Dei permissione fit, ut qui sibi potuit benefacere vivendo, & noluit, ei, neque post mortem, ab hæredibus beneficiat.

Sexta Ratio. Quia qui dat eleemosynam in Vita, est grator Deo, & qui dat post mortem ea, quæ secum afferre non potest, non meretur gratitudinem, nam

Munera, quæ donat moriens, hæc munera non sunt.

Donat enim, quod jam desinit esse suum, Et ideo S. Basilius Hom. 7. contra divites avaros, sic ait; Sicut nullus post mercatum solutum negotiatur, neque post certamina accedens coronatur, nec post bellum fortia gerit, sic post vitam, nullam pietatis laudem, primumve capiet.

Septima ratio. Quia nil eleemosyna gloriosius, & homines misericordes in vita laudantur ab omnibus. *Eccles. 31. 9. Eleemosynas illius enarrabit omnis Ecclesia Sanctorum. Et Senec. 4. De benefic. cap. 22. Est in ipso opere merces rei, & ad alienandas mentes hominum ingens honesti potentia. Et Cicero, Homines ad Deos nulla re propius accedunt, quam dando, & Ovid.*

Regia, crede mihi, res est succurrere lapsis: Quos allegat Sperellus in præcitato lib. de Eleemos. quem omnes beneficiarios legere oporteret.

Octavo ratio, quia eleemosyna non minuit, sed abundare facit bona temporalia; spondente Spiritu Sancto, *Qui dat pauperi, non indigebit. Prov. 28. 27. & infinita propemodum leguntur exempla de hac veritate in Historiis, & vitis Sanctorum.*

Nona, & Ultima Ratio; quia Misericordia in pauperes est signum Prædestinationis, ut fusc prælaudatus Antistes Sperell. *cap. 30. 31. 32. & 33.*

DECISIO CXII.

ARGUMENTUM.

Recensentur rationes, ac diligentia adhibenda ab animarum Curatis, ut retrahant populum à crapulis, & ebrietatibus?

SUMMARIUM.

1. Ebrietatis pro eliminando vitio remedia sex.
2. Ebriosus maritus quomodo emendatus ab Uxore?

PRæter ea, quæ considerata fuerunt supra Decis. 14. à num. 12. Doctores, Parochi, & Curati animarum notare sequentia. 1. Ut ipse Curatus sit studiosissimus Temperantiæ, ac Sobrietatis, juxta illud Apostoli ad Titum 2. 7. *In omnibus prabe reipsum exemplum bonorum operum.* 2. Docendum, ex crapula, & ebrietate procedere peccata enormia luxuriæ, juxta illud: *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria, Ephes. 5. 19. 3. Terrendos esse populos ab hoc vitio ob multiplicatas maledictiones, quæ in ebriosos leguntur prolata à Deo, & præcipue Prov. 23. 20. Cui va? cuius Patri va? Cui rixæ? Cui foveæ? Cui sine causa vulnera? Cui suffossio oculi,*

lorum? Nonne his qui commorantur in vino, & student calicibus epotandis? 4. Gravi sermone exponenda mala, quæ resultant ex crapula, & ebrietate; siquidem utraque aufert memoriam, dissipat sensum, confundit intellectum, balbutire facit, corrumpit sanguinem, omnia membra debilitat, excitat iram, atque furorem, omniumque vitiorum fomes est, materque morborum. 5. Monendos auditores, quod Ebriosi regnum Dei non possidebunt, ut ait D. Paul. 1. Cor. 6. & comprobatur Lessius de Just. & Jure lib. 4. cap. 3. dub. 3. num. 15. & Bonacina de legib. disput. ult. quest. 1. punct. 1. num. 2. Ver. 4. 6. Legendos à Curatis animarum per frequenter Auctores agentes de remediis contra vitium gulæ, & præcipue Marchant in Hort. Pastor tract. 5. lect. 1. De Vitio gula. Arelsum lib. 6. Impr. 189. Lessium dict. cap. 3. dub. 3. Thomam Garzonum in Plat. Univ. Discurs. 108. & Georg. Gobatum in suo Quinario tract. 5. per totum, apud quos uberrima reperiuntur argumenta, rationes, industriæ, ac exempla pro crapula, & ebrietatis abusu eliminando.

His ego addam lepidam narrationem, quam Romæ anno 1670. audiavi à P. Rizzolio Soc. JESU in sermonibus suis postmeridianis in Ecclesia Sanctissimi Nominis JESU. Narravit itaque, fuisse quendam Virum ebriosum, quem quadam die vino oppressum, ac sensibus destitutum ejus Uxor posuit extensum in pavimento tanquam mortuum, manibus in Crucis formam ligatis, & syndone cooperuit, ac ad caput, & ad pedes candelas posuit accensas. Vocavit vicinas, quibus dixit, improvisa morte maritum suum sublatum, lachrymas, & dolorem simulabat, & aiebat: Ah saltem confessus esset peccata sua ante mortem! Ejus anima nunc debet esse in inferno. Dum sic lamentaretur Uxor, digesto vino Maritus extulit caput; & quasi vit, Quid esset? Cur Uxor ploraret? Ipsa detracta syndone ait: Oh miraculum! Mi marite, mortuus eras. Deus tibi vitam restituit, ut confitearis peccata tua, & te emendes ab ebrietatis vitio. Tantum concepit terrorem Vir ille ex illa imagine mortis, ut de cætero abstineret à vino, & fuerit virtuosus observator temperantiæ. Ita supradictus egregius Concionator.

DECISIO CXIII.

ARGUMENTUM.

Refertur ordo, sive methodus incensandi Altare juxta Rubricas. Numerus incensationum. Earundem Mysterium, tam in Missa, quam in Vesperis.

SUMMARIUM.

1. Incensum quot vicibus imponatur in Missa in Thuribulo?
2. Incensum quando benedicatur à celebrante?
3. Quando non benedicatur?
4. Incensatio altaris qua gravitate explenda?
5. Incensaturus Altare quando genuflectat?
6. Incensandum quomodo sit Altare in Missa, si sit exposita Sanctissima Eucharistia?
7. Incensandi in Choro quomodo stare debeant?
8. Incensationis totius ordo in Missa solenni.
9. Incensationum in Missa numerus, ac in Vesperis.
10. Incensationis Altaris Mysteria.
11. Incensatio Altaris Demones expellit.
12. Thuribuli significatio Mystica.

Z

De

DE hoc prænotata fuerunt plurima à doctissimis Parochis, & Sacrarum Ceremoniarum eruditissimis Confessariis; quorum selectiora (brevitatis causa, tanquam notatu digna, pro recta Altaris incensatione, quam plures, et si seniores ignorant, & errant) sunt sequentia.

1. Primum. Quod in Missa Solenni quater imponatur incensum in Thuribulo à Celebrante. 1. In Sacristia, vel alio loco unde procedendum est ad Altare pro Missa inchoanda. 2. In Altare post Confessionem, & ante Introitum. 3. Antequam Diaconus dicat *Munda cor meum*. 4. Post oblationem Calicis, dicto *Veni Sanctificator*. Mich. Bauldry in *Man. Sac. Cerem. p. 2. cap. 9. art. 2.*

2. Secundum. Thus semper benedicitur à Celebrante statim ac immissum in thuribulum, & non prius; ideo errant illi, qui illud benediciunt accipientes cochlear ante immisionem. Bauldry *d. cap. 9. art. 1. num. 5.* & si Thymia, vel aliud misceatur odoriferum cum Incenso, major quantitas semper debet esse Incensi. Gavantus in *Rubr. Miss. p. 2. tit. 4. sub num. 4.* Magrius in *Hierolexic. Verb. Thus.*

3. Tertium. Omittitur benedictio Thuris feria 6. in Parasceve, & quodocunque expositum est Sanctissimum Sacramentum, & illud tantum est thurificandum; & tunc etiam omittuntur oscula cochlearis, thuribuli, & manus celebrantis, qui nihilominus non genuflexus, sed stans immittit illud in thuribulum. Castald. in *Praxi Cerem. lib. 2. sect. 2. cap. 2. num. 4.* Bauldry *dict. art. 1. num. 5. & 9.* Verum tamen, si ultra Sanctissimum Sacramentum, incensandum sit Altare, ut potè quando canitur Missa in Altari, in quo Sanctissima Eucharistia est exposita, tunc Thus quidem benedicitur, sed sine osculis. Bauldry *d. num. 5.*

4. Quartum. In ipso actu Thurificationis celebrans debet se gerere graviter, & devotè. Cerem. Rom. lib. 3. sect. 5. cap. 2. videlicet faciendò thurificationem tractim, modeste, quiete, sine strepitu, ac sine prope ratione, cumque ducit, & reducit Thuribulum, caput non moveat, aut personam, sed manum sinistram, qua summitatem catenularum tenet. immobillem prope pectus collocet, dexteram verò, ac brachium commodè cum Thuribulo movebit, itaut illud retrahendo, leviter, & competenti mora sub brachio reducat; & dum procedit in Thurificatione Altaris, pedibus tot omnino passus perficiat, quot Thuribuli tractus. Bauldry *d. cap. 9. art. 2. num. 17.* & Castald. *d. lib. 2. cap. 2. num. 8.*

5. Quintum. Celebrans, antequam Crucem incenset, si in Altari sit Sanctissimum Sacramentum, genuflectit cum ministris, idemque facit post incensatam Crucem: sin minus eidem Cruci reverentiam facit profunde inclinatus; quod observat, quotiescunque transit ante Crucem. Porro Diaconus, & Subdiaconus semper genuflectunt ante Crucem. Rubr. Missal. part. 2. tit. 4. nisi sint Canonici. Bauldry *d. cap. 9. art. 2. num. 10.*

6. Sextum. Ipsum verò Sanctissimum Sacramentum expositum semper incensatur à Celebrante genuflexo super secundo gradu Altaris; quod si incensandum postea sit Altare, (ut in Missa) surgit postea & Altare incensat; at incensatione completa ipse descendit in planum

extra gradus à latere Epistolæ, & ibi incensatur à Diacono. Bauldry *d. cap. 9. art. 3. ubi num. 5.* notat, quod finito Evangelio, Celebrans non descendat in planum, sed incensetur à Diacono, ubi est, in cornu Epistolæ, licet sit expositum SS. Sacramentum.

Septimum. Cum fit incensatio generalis in choro, omnes stare debent, & nudo capite, amoto etiam pileolo, si illo utantur, adeò ut nullus sedens, aut genuflectens sit Thurificandus, etiam populus, qui de his admoneri debet. Bauldry *d. cap. 9. art. 5. num. 1. & 2.* Castald. *d. lib. 2. cap. 2. num. 18.*

His prænotatis, respondentes ad Casum dixere; Ordinem, seu Methodum incensandi Altare juxta Rubricas esse, ut prius incensetur Sanctissimum Sacramentum (si sit expositum in Missa) triplici ductu; vel (si expositum non sit) Crux ipsa, dicto triplici ductu. Deinde Reliquiæ Sanctorum, vel imagines (si in Altari adsint) thurificantur duplici ductu, quæ in cornu Evangelii sunt, prius, deinde quæ in Cornu Epistolæ, antequam Celebrans discedat de medio Altaris. Postea prosequitur incensando Altare in parte Epistolæ ter versus pedes Candelabrorum; bis extra cornu Epistolæ inferius, & superius, ter super Altare in parte superiori, & anteriori, Thuribulum velut in semicirculo ter ducendo, & usque ad medium Altaris procedendo. Facta deinde debita reverentia, incensatur Altare in parte Evangelii eadem methodo, & ordine; & completis istis ductibus, antequam transeat ad Cornu Epistolæ, incensat ter frontem Altaris, vulgò *il Parapetto*, à parte Evangelii; mox reverentiam facit Cruci, seu Sanctissimo Sacramento; & eandem frontem Altaris ter thurificat in parte Epistolæ, & tunc reddit Thuribulum Diacono, qui osculatur manum dexteram celebrantis, & manubrium Thuribuli, & descendens à Cornu Epistolæ in planum triplici ductu incensat Celebrantem stantem junctis manibus ante pectus, facta profunda inclinatione ante, & post, cui celebrans nullatenus se inclinat. Secus autem in Vesperis, quia ad Incensationem post *Magnificat* Celebrans modicum respondet Diacono incensanti. Gavant. *ad Rubr. Breviar. sect. 10. cap. 3. num. 19.* & ad Rub. Missal. *dict. part. 2. tit. 4.* Bauldry *d. cap. 9. art. 2.* Castald. *d. lib. 2. sect. 2. cap. 2. num. 7.* Corlet. in *Praxi Sac. Rit. par. 1. cap. 10.* & Arnaud. in *Epirom. Thesaur. Sac. Rit. par. 2. tit. 4.* apud quem pag. 70. prout apud Bauldry pag. 88. extat Stemma sculptum incensationum, ad præscriptum Rubricæ, & Decretorum Sacra Congregationis numeris signatum, quod intuentes, & memorie mandantes errare non poterunt in Sacra Thurificatione.

Ex his collegere; incensationes Altaris, quando extant in eo Reliquiæ, vel Imagines Sanctorum, esse vigintinovem, Reliquiis verò non extantibus, esse vigintiquinque, loquendo de Incensatione tum in Introitu Missæ, tum in Vesperis. At in Thurificatione post Offertorium, ultra prædictum numerum, ter incensatur Calix, & Hostia simul, ducendo Thuribulum super eundem Calicem, & Hostiam ter, in modum Crucis, recta linea, & transversa; non autem veluti quatuor puncta designando. Bauldry

Bauldry *dist. cap. 9. art. 2. num. 14.* Arnaud *d. part. 2. tit. 7. num. 20.* Gavant. *ead. part. 2. tit. 7. num. 10.* & Coset. *part. 1. tit. 10. num. 18.* Postea demisso aliquantulum Thuribulo illud ter ducitur circum Calicem, & Hostiam omnino, scilicet bis à manu dextera ad sinistram, transiens prius inter Calicem, & Crucem, & denique semel à sinistra ad dexteram proferendo interrim illa verba: *Incensum istud, &c.* Quibus peractis, incensatur Crux, Reliquiæ, & Altare, ut ante, dicendo interim: *Dirigatur Domine oratio mea, &c.* Quæ oratio sic est proferenda, ut eodem tempore finiatur, quo absolvitur Altaris incensatio. Bauldry *d. art. 2. num. 14.*

10 Circa verò Mystrium Thurificationis ad ipsa oblata, adverterunt, fieri in modum Crucis, & in modum Coronæ, ut ex passione Christi ad Coronam Trinitatis fiat transitus. Durand. *cap. 31.* Et sexies incensantur oblata, quia ante sex dies Paschæ ivit Jesus Bethaniam, ter ducitur Thuribulum supra in modum Crucis, ut designetur triplex unctio Mariæ; prout in Vesperis significatur Aloes, & Myrrha, quibus Nicodemus unxit corpus Jesu, de Cruce depositum. 7o. 10. bis circum Calicem, & semel converso circulo, quia Jesus rediit Hierusalem ad ramos Palmarum, & de Hierusalem rediit Bethaniam. Gavant. *de par. 2. tit. 7. sub. num. 10.* Item bonus odor significat effectus gratiæ, ex Sacrificio provenientes, in quo Christus est Hostia. Et ducitur Thuribulum per modum Crucis, quia fructus Sacrificii huius incruenti à Crucis Sacrificio, tanquam à fonte promanant; & pariter ducitur ter circumcirca à dextris, & sinistris, ut indicetur, nos huius Sacrificii virtute adjuvari in prosperis, & adversis. Quartus in Rubr. Missal. *part. 2. tit. 7. num. 10.*

11 Fit autem incensatio tum in Missis, tum in Vesperis ob plurima Mysteria; præcipue verò ad repræsentandam gloriam Dei, qui in nebula apparebat; ad reverentiam loci, ut malus odor concurrentis populi inde pellatur: ad significandum bonum Christi odorem, & orationes, quæ ad Deum diriguntur, & ad expellendos Dæmones, ut ex antiquis Autoribus colligit Gavant. *dict. part. 2. tit. 4. sub. num. 4.* Thuribulum autem significat Christum Dominum, igne Spiritus Sancti plenum: tres verò Catenulæ tres Uniones in Christo, scilicet carnis ad animam, & Divinitatis ad animam, & ad Carnem. Gavant. *dict. tit. 4. num. 4.* Quartus in Rubr. Missal. *part. 2. tit. 4. sub. num. 7.* & ibi Durandus *de Rit. Eccles. lib. 1. cap. 9.* Suarez *tom. 3. in 3. part. disput. 84. sect. 1. in ultim. loco.* Et Illustrius. Casaluis *De Veter. Sacr. Christ. Ritib. c. 41.*

DECISIO CXIV.

ARGUMENTUM.

Disputatur, quibus modis auferri, & aboleri possit pessima consuetudo Plebis blasphemandi, pejerandi, & irreverenter nominandi Sanctissimum Nomen Dei, ac Beatæ Mariæ Virginis?

SUMMARIUM.

1. Consuetudo plebis blasphemandi, & pejerandi quomodo tollenda?
2. Prædicatio Parochorum contra blasphemias eas tollit.
3. Prædicationis Parochorum utilitas, & num. 9. Doct. Clericali Tom. II. Lib. IX.

4. Prædicare debent Parochi indispensabiliter ex officio suo.

5. Parochi non prædicantes suis plebibus peccant mortaliter.

6. Parochi excusatio de non prædicando inutilis.

7. Prædicatio verbi Dei similata dentibus. Et cur?

8. Dæmonum gratiarum actio ad Parochos non prædicantes.

Ad hunc Casum plurimi plurima dixere, & doctè quidem, & eruditè circa enormitatem blasphemiarum, perjurii, & Verborum irreverentiarum, & ut vulgò dicitur di Cospettare: nec non circa poenas tum spirituales, tum temporales in utroque foro contra huiusmodi linguæ lapsus statutas. Caterum Unus tantum, tot inter Parochos, & Confessarios, suggestit verum modum auferendi dictam pessimam Plebis consuetudinem juxta mentem, & sensum Eminentissimi Præfatis Nostris: videlicet, Si Parochi omnes incessanter prædicent contra dictam pessimam consuetudinem. Hic unicus est modus eliminandi tale flagitium, & experientia docet, blasphemias, perjuria, verba indecentia, ac Cospetteri non audiri in locis, ubi Parochi jugiter, & ferventi Zelo prædicant contra tales enormitates: contra easdem vigere, Parochis tacentibus, & in easdem prædicando non insurgentibus. Itaque modus tollendi dictam consuetudinem pessimam verus, efficax, & omnino prædicandus est prædicatio Parochorum. Ad hanc ut diligenter magis adhibendam exardescant, pigri autem excitentur, mandavit Eminentia sua notari duo, Utilitatem, & Necessitatem Prædicationis in Parochis, & animarum Rectoribus, ac Curatis. Utilitatem, quia Verbum Dei est gladius potentissimus ad destruenda peccata, ideò Apostolus ait: *Vivus est sermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti.* Hebr. 4. 12. & ad ejus Usus alibi Pastores animarum hortatur, dicens, *Assumite gladium spiritus, quod est Verbum Dei.* Ephes. 6. 17. Qua de causa dum Pastor Pastorum Christus Dominus visus fuit ab Evangelista Joanne, de ore ejus gladius utraque parte acutus exibat. Apoc. 1. 16. Et est notabilis illa sententia S. Augustini relata in cap. Interrogo, 93. 1. quasi 1. *Æque servandam esse Prædicationem, ac Sacratissimum Corpus Christi, respectu scilicet utilitatis in Plebe: imò Glossa ibi subdit, quod Prædicatio efficacior sit Corpore Christi, quia plures convertit, & plus facit compungi hominem, ita ut omnia peccata per eam tollantur: & concordat testimonium prælibati Eminentissimi Nostris Præfatis, qui in Visitationibus amplissima hujus Patavinae diocesis reperit semper populum mundum à prædictis linguæ piaculis, ubi Parochi prædicare non desistunt contra easdem iniquitates. Necessitatem verò, quia officium prædicandi inhaeret intrinsece muneri Parochiali, Glossa in Clement. 1. de Regul. Sperialibus decis. 70. num. 3. & Jacob Pignatellus in Consultationib. Canonis tom. 4. Consultat. 2021 num. 5. & Parochi, inter præcipuas suas obligationes, hanc habent prædicandi populis suæ Parochiæ. cap. Quod De timore, 5. de Statu Monachorum. Clem. Dudum. 5. Huiusmodi de Sepultur cap. Inter cetera. De Offic. ordinari. Concil. Trident. sess. 5. de ref. cap. 2. sess. 23. cap. 1. & sess. 24. cap. 4. Et quidem sub poena peccati mortalis, ut notat pax Jordan. lib. 6. tit. 1. n. 10. & ante ipsum adverterunt Hostien & Jo Andr. in d. cap. In-*